

tamen doctrina jam ad primum argumentum respondetur, quod amor medii quomodolibet necessarii, habet quidem necessariam connexionem cum amore finis, hoc est, infallibilem; stat autem optime, quod talis amor medii possit esse absolute liber, et absolute necessarius, juxta diversitatem mediorum. Ad hoc autem ut infallibilis sit, sat fuerit, quod sit necessarius ex suppositione alicujus extrinseci, quod non tollit libertatem.

XXIII. Ad primam probationem antecedentis respondetur, verum esse quod ex necessaria connexionem inter objecta colligitur necessaria connexio inter actus, et consequenter ex diversa natura talis connexionis objectorum, colligitur diversa connexio actuum. Quando ergo fuerit inter medium, et finem connexio connaturalis ex propria cujusque entitate intrinseca, etiam erit necessaria, et intrinseca connexio actus. Unde si amor finis fuerit necessarius, etiam electio, aut acceptatio medii intrinseci erit necessaria absolute. Cæterum si talis connexio finis, et medii fuerit ab extrinseca lege, et non connaturalis, non oportet quod si amor finis fuerit omnino necessarius, sit etiam omnino necessaria electio, aut acceptatio medii: sufficit enim quod sit necessaria secundum quid, id est, ex suppositione illius extrinsecæ, quod est esse infallibilem, et tantum necessariam necessitate consequentiæ, non consequentis, ut diximus.

XXIV. Ad secundam probationem ex exemplis respondetur, quod simili efficacia, qua in illis casibus quis amat finem debet amare illa media, quia ad conservationem vitæ omnino necessarius est naturaliter cibus, et iste in particulari, si non adest alius; et similiter fugere invasorem, supposito quod aliter mors

nequit evitari: baptizari etiam in nova lege supposita copia baptismi est medium intrinsece necessarium ad salutem ex institutione auctoris gratiæ, atque adeo de necessitate intrinseca volentis salutem est velle baptismum supposita tali ordinatione. Quare in omnibus illis exemplis ex intrinseca connexionem finis, et medii acceptanda sunt media. At in nostro casu non ab intrinseco ponitur necessitas circa opus præceptum, sed solum ab extrinseco, atque adeo remanet indifferentia absoluta circa talem actum.

XXV. Secundam rationem diversitatis assignat magister Vincentius ubi supra, quod scilicet in prioribus casibus intentio finis suam efficaciam sumit a libertate voluntatis, cui talis finis, et media indifferenter subsunt, atque adeo simili efficacia omnia appetit, et finem, et media. At charitas non eodem impulsu, et propensione determinat in patria voluntatem ad amorem necessarium finis, et ad quodcumque medium ad illum, sed ad amorem medii necessarii ab intrinseco determinat necessario ex intrinseca connexionem eadem necessitate, qua ad finem; amorem vero medii tantum necessarii ab extrinseco non ex necessitate absoluta, sed secundum quid, id est, ex suppositione.

XXVI. Ad primam confirmationem ex modo dictis respondetur verum quidem esse, quod efficax intentio finis includit voluntatem efficacem servandi omnia mandata, non tamen intentio finis necessaria includit volitionem omnino necessariam circa observationem in particulari, sed solum necessariam secundum quid ex suppositione ut diximus. Utrum autem sit ponenda aliqua differentia inter voluntatem servandi præcepta naturalia, et positiva, videatur magister Vincentius, pagina 438, et deinceps, ubi

determinat in Christo specialiter utrorumque præceptorum adimpletionem esse liberam absolute ex eo quod cum beatitudine animæ esset etiam absolute viator, quod in aliis beatis non contingit, et si per naturalia præcepta non mereretur Christus, nec etiam per humilitatem, et subjectionem in ordine ad Deum, quod non juris positivi, sed naturalis est, nequit autem dici Christum non meruisse per humilitatem, et subjectionem in ordine ad Deum, quia oppositum constat ex sacra Scriptura.

XXVII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod ex intentione finis, ita infallibiliter sequitur efficax amor medii de se non necessarii ab intrinseco, sicut efficax amor medii de se intrinsece necessarii. Unde etiam a posteriori ex negatione amoris efficacis cujuscumque medii sequitur negatio efficacis amoris finis. Ad hoc autem non est necesse, quod æquali necessitate jungantur, quia inter finem, et medium de se necessarium, est conjunctio necessaria ab ipsa natura rei proveniens; unde si circa primum non est libertas, nec etiam circa secundum poterit esse. Inter finem autem, et medium solum necessarium ab extrinseco non est naturalis connexio, sed moralis, atque adeo etiam stante necessario amore circa finem potest esse libertas absoluta circa istud medium, cum sit necessarium sola necessitate consequentiæ, quæ est secundum quid.

XXVIII. Ad secundum argumentum in principio ut respondeamus, advertendum est adeo difficile visum fuisse magistro Vincentio, pagina 435, ut ingenue fateatur se libentius velle audire solutionem ejus, quam tribuere. Multo ergo magis variant doctores circa solutionem ejus, dum septem, et am-

plius assignant solutiones, quas de consulto omitto, tum propter fastidium, tum etiam quia ex supradictis refutari possunt. Ut igitur in forma ad argumentum respondeamus juxta doctrinam a nobis superius traditam, supponendum est, quod negatio actus ea ratione dici debet necessaria, vel non necessaria, seu contingens, et libera, sicut ejus actus oppositus fuerit impossibilis, vel contingens, aut liber. Unde ad positivum maxime attendendum est, cum negatio per illud regulari debeat. Concedendum ergo est absolute antecedens, scilicet, quod Christus sit omnino determinatus ad non offendendum Deum, et ad non violandum præceptum, et constat, quia omnino est impossibilis oppositus actus, scilicet: Volo offendere Deum; volo violare præceptum, atque adeo negatio istius actus in illo antecedenti assumpta, est omnino necessaria Christo. Est autem distinguendum consequens, quia in sensu composito, hoc est, supposito præcepto non potuit non facere; potuit tamen in sensu diviso, id est, loquendo solum ex meritis objecti illius actus, scilicet mortis sustinendæ, et ex modo intrinseco operandi ipsius voluntatis tam negatio illius actus, quam etiam actus positivus voluntatis circa illud objectum libera fuit Christo, et quantum ad exercitium, et quantum ad specificationem, et hic sensus est divisus ab illa suppositione præcepti, et sufficiens ad absolutam libertatem. At loquendo ex suppositione præcepti, et impeccabilitate Christi non potuit non facere, quia non habebat libertatem ut unum cum altero componat, id est, ad non facere cum præcepto faciendi, et impeccabilitate Christi; habet vero potentiam ad non facere considerato illo objecto secundum se, et secluso quocumque extrinseco, et

hoc sufficit ad libertatem actus oppositi.

XXIX. Et cum subditur in probatione consequentia, quod idem est non facere, atque transgredi divinum præceptum, dico quod non facere in sensu composito, id est, supposito præcepto, verum est idem esse quod transgredi divinum præceptum; sed non facere in sensu diviso, id est, non supposito præcepto, non est idem quod violare mandatum. Unde quamvis ex suppositione actus acceptandi mortem sit necessarius quantum ad specificationem, et oppositus impossibilis, tamen absolute est liber.

XXX. Contra hoc autem insurgit Suarez hac objectione, quam validam, ac perdifficilem vocat. Sequitur, inquit, quod in Christo sit potentia physica ad peccandum, et consequenter Christum absolute loquendo posse transgredi præceptum divinum illi impositum, quod esse omnino falsum supra quæstione xv, articulo primo, probatum fuit. Probatur sequela, quia Christus libere adimplevit præceptum moriendi obligans hic et nunc; ergo potuit implere, et non implere; sed posse non implere tale præceptum est posse peccare: ergo absolute, et simpliciter peccare potuit.

XXXI. Respondetur negando sequelam. Christus enim non habuit potentiam physicam ad peccandum formaliter, nam licet habuerit potentiam physicam ad actum, et ad negationem actus absolute, non vero habuit potentiam physicam ad illum actum, vel negationem actus secundum quod inductiva erat privationis regulæ rationis. Nec ad hoc salvandum est necessarium recurrere ad paratum Dei concursum, vel non paratum, ut recurrit Suarez, sed ad ipsam Christi intrinsicam dispositionem. Sicut enim non habet potentiam ad operandum,

nisi conjunctam primæ regulæ secundum esse, ita neque ut exeat in actum, nisi eidem regulæ conjunctam, et subordinatam, atque adeo non habet potentiam physicam nisi ad recte operandum.

XXXII. Cæterum ex meritis ipsius objecti habuit potentiam physicam ad eos actus, quos si eliceret supposito præcepto peccaret, scilicet: Volo non mori, aut: Volo non redimere genus humanum, quod gravissimi discipuli D. Thomæ libenter fatentur, et Molina i part. quæst. xiv, art. iii, disput. xviii, §. Ut ad argumenti solutionem, etc. Supposito tamen præcepto Dei impossibile fuit, quod eos actus eliceret, quare nunquam est concedendum, quod ad omissionem horum actuum: Volo mori, aut: Volo redimere genus humanum, secundum quod isti actus in præcepto cadebant, haberet Christus potentiam physicam.

XXXIII. Ad confirmationem respondetur non esse inconveniens, quod in bona consequentia antecedens sit omnino necessarium, et consequens solum secundum quid, dum tamen sit infallibile supposito antecedenti ex aliqua conjunctione infallibili cum illo, nunquam enim instabitur, ut dici solet i part. quæst. xiv, art. xiii, est enim hæc consequentia necessaria: Deus scit Petrum peccaturum: ergo Petrus peccabit, et tamen antecedens est omnino necessarium, et consequens tantum secundum quid, id est, ut subest scientiæ divinæ.

XXXIV. Pro cuius ampliori notitia advertendum est, quod potentia de se determinata ad rationem superiorem est indifferens ad materialia subjecta, quæ per accidens conjunguntur illi superiori rationi. Exemplum est in potentia visiva, quæ de se determinata est ad colorem in communi; indifferens vero ad hominem, et equum, in quibus repe-

ritur color per accidens. Sic ergo dici potest, quod potentia Christi, quæ est voluntas, determinata est ad bonum rationis in communi; indeterminata vero ex se ad hanc rationem boni in particulari, quæ de se non est intrinsece conjuncta cum bono rationis, sed per accidens, et ab extrinseco. Et notandum quod res liberæ cognitæ a Deo per reductionem ad scientiam divinam habent libertatem, et ut subsunt scientiæ divinæ habent necessitatem, aliter tamen et aliter, nam esse intelligibile rerum cognitarum prout subest scientiæ divinæ habet necessitatem, quia infallibiliter, et necessario cognoscitur, habetque connexionem cum scientia divina. At vero physica entitas actus liberi per reductionem ad scientiam Dei habet libertatem, quia Deus cognoscit illum secundum modum liberum, et cognitio Dei dat id quod cognoscit rebus, non supponit, nec ab illis accipit.

#### ARTICULUS V.

*Utrum Christi meritum fuerit infinitum simpliciter?*

I. Dubium istud bene tractatur a magistro Medina hic dubio iii, et a magistro Vincentio pagina 442, et deinceps a magistro Cabrera, et aliis, quia tamen nos agentes de infinita satisfactione Christi supra quæst. i, art. ii, dubio ix, disput. ii, fere omnia, quæ ad disputationem hanc pertinent absolvimus, breviter ab eo expediemur. Solum supra omnia illa ibi tradita advertentes, quod quamvis omnes doctores communiter conveniant in asserenda infinitate simpliciter meritorum Christi, nihilominus disconveniunt in modo explicandi illam infinitatem.

II. Quidam enim dicunt, quod operationes Christi eo ipso, quo a supposito divino eliciebantur erant infinite meritorie simpliciter, quia persona operans erat Deus, et hoc est assignare causam infinitatis meriti veluti a priori; alii vero a posteriori talem infinitatem meriti in Christo colligunt ex eo, quod illi de facto datur infinitum præmium; hoc vero non eodem modo assignatur a doctoribus, nam quidam dicunt tale infinitum præmium de facto fuisse Christo collatum in resurrectione, in qua ex reunionem partium ad invicem secuta fuit unio suppositi divini ad totam humanitatem, quod infinitum quid est simpliciter; alii ponunt infinitatem præmii non in re illa in qua Christus fuit præmiatus de facto, sed in modo, quo præmium illud conferebatur, videlicet, ex eo quod tribuebatur ex toto rigore justitiæ; ac tandem alii infinitatem meritorum Christi in eo consistere docent, quod ejus passio proponatur ut universalissima medicina, sufficientissima omnibus hominibus existentibus, præteritis, futuris, imo et possibilibus ea uti volentibus pro quibuscumque peccatis quantumcumque numero, aut intensione gravissimis.

III. Qui omnes modi dicendi satis probabiles sunt, et etiam iste ultimus mihi magnopere arridet, qui est magistri Vincentii pagina 348, ex eo quod valde cedit in excellentiam, et honorem Christi Domini, et operationum ejus, quidquid in oppositum dicat Suarez disp. iv, sect. iv, §. Fatendum est ergo, ubi non vult concedere, quod omni proprietate sermonis Christi meritum fuerit infinitum conferens actuale jus ad infinitum præmium. Cujus oppositum egregie docet magister Vincentius loco citato.

IV. Et notandum, quod principium quod operans in Christo, licet in